



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini
Carmina Selecta**

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401

I D E M.

QUò te bellandi rapit impetus? obruis hostes
Contemnens duras hyemes, cumulasque trium-
phos.

Dic quibus auspiciis? quo fulmine? dic quibus armis?
Quisve Deus pugnat tecum, & comitatur euntem?
Te spectante cadunt, vel solo exterrita nutu
Mœnia, téque probant dominum & tua jura cadendo;
Septima lux palmam asseruit, quam vindice ferro
Non alii obtineant etiam per sæcula Reges.
Jamdudum in plausus mea Musa erumpere gestit
Te reducem expectans, avidas frustra applicat aures;
Præcipiti cursu antevolas, fallisque parantem
Dicere multa, animum longè superantibus actis:
Nec jam te capit illa, tuis & laudibus impar
Insolitum miratur, & obstupefacta recusat
Arduum opus, Vatémque negato carmine fraudat.
Quid faciam? Pudor est decora inter tanta filere,
Sed laudare labor: nostro succurre labori
Maxime Rex; tua quo liceat jam scribere facta,
Da spatium Vati, cursusque morare secundos.